



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 12. De Theologia Scholastica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

## §. XII.

*De Theologia Scholastica.*

**H**oc Patrum studio Theologia plurimum proficiebat; cum enim solidius quam antea, deducto veluti velo, sacrae Scripturae, ac traditionis principiis inniteretur, pariter magis adhuc excolebatur a Viris celeberrimis, qui utilibus duntaxat doctrinae, morumque quaestionibus insistentes, clariori, magisque solida methodo eas pertractabant, atque inutiles Philosophiae voces, necnon intricatas nimium subtilis Metaphysicae quaestiones exulare jubebant. Exemplo praebant Petrus Alliacus, & Constantiensis Concilii anima, scilicet Joannes Gerson, necnon Nicolaus Clemangius, pluresque alii, qui per antiquitatis Ecclesiasticae studium adjuti barbariem, atque obscuritatem, quae priori aetate in Summis Theologicis, atque Theologorum commentariis admodum frequens occurrebat, a suis libris eliminabant, rejectisque quaestionibus mere scholasticis diversa doctrinae, morum, & disciplinae argumenta pertractabant, quae ad illustrandum intellectum, fidem corroborandam, moresque componendos peridonea censebant. Relinquebantur Philosophis Plato, & Aristoteles, vel saltem ad eos unice recurrebatur in quaestionibus

bus

bus mere Philosophicis, quæ ad scientiam Ecclesiasticam nullatenus pertinebant. Verum in Theologia, quæ dogmatum scientia, ac morum doctrina est, unice ratio habebatur ad ea, quæ ipse Spiritus Sanctus dictabat, & constans, nec non per Ecclesiam recepta traditio, quæ veritatis columna, basisque est, de sæculo ad sæculum nobis relinquebat.

Hæc est methodus, quam ipsimet Theologi scholastici sequebantur, saltem inter eos illi, qui saniore iudicio præditi majorem in dijudicandis rebus sagacitatem præferebant, ac Sanctorum Patrum lectionem sibi magis familiarem reddebant: non enim me latet, quod decimo sexto, & decimo septimo sæculo in pluribus Theologis adhuc Theologia arrida, atque elumbis reperiatur, in qua plus subtilitatis, quam soliditatis deprehenditur, cum illius Scriptores veritates, quas dilucidare nitebantur, sæpe magis obscuras reddebant, ceterosque, qui iniquo fato eorum discipuli erant, illorumque laqueos evitare nesciebant, fatali consuetudine ad id inducebant, ut & ipsi ubique suas inspergerent argutias, perpetuis affluerent cavillationibus, cunctaque sive firma, sive imbecilli ratione fulcirent, ac non raro vero simili duntaxat ratione contenti essent, cum tamen potius ad ipsa

psa veritatis viscera penetrare debuissent, eo quod illius inquisitio sit unicus finis non modo cujuslibet Theologi, sed etiam Christiani, imo & cujusvis hominis sana ratione præditi. Insuper ejusmodi Scholastici sæpius multa, quin ea dissolverent, suscitabant dubia, veritates autem minime dubias, veluti problemata reputandi ansam præbebant, sensimque in Lectorum animis exsucca sua, ac tædiosa veritatem explicandi methodo pietatis affectum extinguiebant. Propterea optandum fuisset, ut plures Scriptores Dogmatici magis profundam Logices scientiam fuissent adepti, ac proin contra errores, quos impugnare aggressi sunt, argumenta exactius ad regulas composita adhibuissent, necnon principia magis evidentia stabiliissent, ac consecutiones magis certas deduxissent; tunc enim eorum victoria longe frequentior, magisque solida fuisset, majorque claritas effulisset, ac Ecclesia ex eorum laboribus, & vigiliis uberius haussisset emolumentum: porro hodie dum tantopere critices ars invaluit, ut facile ex ejusmodi Scriptoribus bonum a malo discerni, atque ex illis non nisi utile decerpi valeat: id vero hac in re maxime risu dignum videtur, quod in sæculo decimo quarto, & decimo quinto etiam inferioris classis Theologi

*Hist. Eccles. Tom. XLII.* d prodi-

prodiga liberalitate titulis omnium maxime magnificis fuerint honorati, illique sibi ejusmodi gloriam audacter propriam fecerint, perinde ac si illam re ipsa emeruissent, quamvis ejusmodi nuncupationes in sæculo decimo quinto rarius fuerint adhibitæ, eo quod tum majus in discernendo judicium, ac æquior vigeret rerum cognitio. Equidem Joannes Gerson cognominabatur Doctor Christianissimus; illud vero nomen jure eidem fuit adscriptum, cum doctrinæ ejus puritas, ac solida pietas, quæ in ejus moribus elucebat, hanc prærogativam sibi vendicasset: his quoque addi potest, quod insuper hoc nomine dignus esset, cum sui ævi Pharisæis bellum intulisset, ac gloriosum triumphum reportasset de illis, qui Christianam Rempublicam novitatibus libertati Evangelicæ, ac Religionis simplicitati adversis inficere moliebantur, fidelesque onerare nitebantur jugo plurium gravium præceptorum, ac variarum in disciplina mutationum, quarum potissima pars usque ad illud tempus in Ecclesia nunquam fuit cognita. Ceterum rationes, propter quas eodem titulo Cardinalis Cusanus fuerit honoratus, minime perspectas habeo; quamvis enim ab aliis ob raram ingenii sui aciem, miram in gerendis negotiis tam sacris, quam profanis

fanis dexteritatem commendetur, alii-  
que illum vel eximium Juris Canonici  
Doctorem deprædicent, necnon profun-  
dam illius in Mathematicis disciplinis  
peritiam admirentur, mihi tamen vide-  
tur, quod in omnibus ejus libris circa  
Religionem, ac Theologiam conscriptis  
nihil singulari laude dignum observe-  
tur, ob quod ab aliis Scriptoribus per  
honorificum Christianissimi Doctoris no-  
men discerni meruisset. Nec majori ju-  
re Doctoris *Extatici* titulus Dionysio Car-  
thusiano adscriptus mihi videtur; quip-  
pe illi, qui innumerum pene operum,  
quæ conscripsit, numerum non igno-  
rant, haud ægre judicabunt, quod me-  
ditationibus vacandi tempus sibi indul-  
ferit, nec, dum calamum exercebat, a-  
nimum in extases rapi passus fuerit.

Verum ut ad Theologiam Scholasti-  
cam revertar, haud ignoro, Gallis Theo-  
logis vitio datum, quod Theologiam  
dialecticæ subtilitatibus nimis conten-  
tiosam reddiderint, atque ab illis editi  
fuerint libri Theologici, quorum Aucto-  
res certissimas quasque, maximique  
momenti veritates in dubium revoca-  
bant, quippe, ut paucis absolvam, con-  
stat, Gallos objurgari ob illa ipsa vitia,  
quæ paulo ante jure merito in aliis re-  
prehendi. Verum circa primum accu-  
sationis caput non defuere Viri celebres,

d 2

qui

qui demonstratum ibant, quod, si Parisiis in hac Franciæ Metropoli methodum, quæ Scholastica vocatur, in Facultatem Theologicam introducere, atque adhibere oportuerit, id unice ideo factum, ut ratiocinandi vi ordo, ac norma præfigeretur: prudens enim hæc Facultas probe perspexerat, quod quamvis intellectus noster sese in obsequium fidei submittere, ac quivis Christianus revelatas Religionis veritates absque arguta discussione recipere teneatur, nostræ tamen submissionis rationem reddere, causasque, ob quas ejusmodi veritatibus assentimur, proferre licitum sit, imo etiam ad id obstringamur, cum fidei nostræ hostes impugnamus, aut ignorantes instruimus. Pariter eadem Facultas ex veterum Philosophorum, ac præcipue Aristotelis methodo mutuabat, quicquid ad extirpandum errorem, atque ad corroborandam veritatem magis opportunum censebat, atque in hoc genere Divum Joannem Damascenum imitabatur, qui dudum antea non sine miro ordine, ac prospero successu ex peregrinis hinc mercibus divitias corradebat. Porro fatemur, imo jam supra memoravimus, quod sensim Theologia in cavillationes, ac spuriam Dialecticam degenerarit: verum hanc culpam nequamquam

quam in Theologos natione Gallos rejicimus, quia facile demonstrare possemus, quod hæc corruptio, ac inversio sæpius ab exteris Theologis, & præcipue Hispanis ortum duxerit, qui Parisiensi Facultati sat molesti acciderant, ac nonisi tanquam putrida illius membra habebantur: nec minus certum constat, quod Facultas huic malo remedium afferre omni tempore studuerit, suisque decretis sedulo providerit, ut Sacræ Scripturæ, sanctorum Patrum, veteris Theologiæ, sacrorumque Canonum studium omni, qua posset, puritate, ac integritate promoveretur, omnesque vanæ subtilitates longe arcerentur: quinimo ipsimet Franciæ Reges, atque inter illos Franciscus I. hujus rei cognitionem in se suscipere haud dedignabantur, suisque edictis non minus salutaribus, quam severis ejusmodi corruptelis, quantum ipsorum vires permittebant, obicem ponebant. Ceterum ars, ac methodus Scholastica, si memoratis limitibus constringitur, semper Religionem nostram novissimorum sæculorum Novatoribus formidandam reddidit, indeque ortum, quod resistendo impares eandem deridere aggressi sint, universim contra Scholasticam Theologiam debacchantes, quin illius abusum a legitimo usu discernerent.



Altera autem accusatio contra Gallos intentata adhuc minus firma substitit; cum ex omnibus Europæ Regnis sola Francia inter Libertinorum impietatem, ac adulterinæ pietatis superstitionem ex æquo mediam viam tenere noverit; semper enim plures in Galliis, quam alibi reperti fuerunt, atque adhuc dum reperiuntur Scriptores, magis excellentes, magisque iu Religione imbuti: ii vero, qui de fide perperam scripserunt, semper pauciores quam alibi fuere deprehenfi. Enimvero Galli, qui Theologiæ operam dederunt, omni tempore non modo summo in pretio habebantur, sed etiam inter primos totius Orbis Theologos recensiti fuere, quippe eorum decisionibus populus, exteri Principes, imo ipsi etiam Pontifices non semel acquiescebant, non equidem, ac si eorum auctoritati cedere tenerentur, sed id fiebat, quod ipsis specialia illorum merita, ac scientiæ præstantia perspecta essent.

## §. XIII.

*De Jure Canonico.*

**N**ec minus erat in Gallis Theologiscientia Juris Canonici, cujus studium omni tempore post sacræ Scripturæ, sanctorumque Patrum cognitionem oppido necessarium reputabatur. Equidem